PETRI RAMI VEROMANDUI, PHILOSOPHIÆ ET ELOQVENTIÆ Regii professoris celeberrimi,

Rudimenta Grammaticæ Latinæ,

Ex postrema editione aliquot in locis emendata.



FRANCOFURDI
Apud heredes Andreæ Wecheli,
Claudium Marnium & Ioann. Aubrium,
M D XCV.

PETRI RAMI RUDIMENTA GRAMMATICÆ LATINÆ.

CAP. I, DE LITERIS.

Discipulus, Præceptor.

STVDEO (mi præceptor) ex te breviter audire, quæ de Grammatica vulgó copiosé explicantur: si modó tibi molestum non est.

P. Mihi quidem certé jucundius accidere nihil potest, quám tam liberali tamque honesto desiderio obsequi.

D. Visne igitur ut singulis de rebus te simpliciter interrogem? P. Sané valde placet. sic enim & ingenium tuum cognoscam, & tu studium meum perspicies.

D. Dic igitur primúm, Quid est Grammatica? P. Ars bene loquendi.

D. Quot sunt partes Grammaticæ? P. Duæ, Etymologia & Syntaxis.

D Quid est Etymologia? P. Prima pars Grammaticæ, quæ vocum singularum proprietates interpretatur.

D. Quid

D. Quid eſt vox? P. Eſt nota qua unumquodque vocatur.

D. Unde fit vox? P. E litera & ſyllaba.

D. Quid eſt litera? P. Eſt individui ſoni comprehenſio.

D. Quotuplex eſt? P. Duplex, vocalis aut conſona.

D. Quid eſt vocalis? P. Litera quæ per ſe ſyllabam poteſt efficere, ut a, e, i, ore diducto: item o, u, y, contracto.

D. Quid eſt conſona? P. Litera quæ tantùm cum vocali ſyllabam poteſt efficere.

D. Quotuplex eſt conſona? P. Duplex, ſemivocalis aut muta.

D. Quid eſt ſemivocalis? P. Eſt conſona quæ per ſe ſonum efficit, ſed tanquã vocalis dimidiũ.

D. Quotuplex eſt ſemivocalis? P. Duplex, liquida aut firma.

D. Quid eſt liquida? P. Eſt ſemivocalis quæ diductis labris, inſtar primarum vocalium, profertur: ejúſque ſonus emollitur aliquando, & tanquam liqueſcit: unde appellatur liquida.

D. Quotuplex eſt liquida? P. Duplex, acutior aut obtuſior. Acutior, ut es, er, el. hic ſibilus in Græcis quibuſdam vocibus geminatus ſcribitur Græco charactere zeta: ut in Zopyrus & Zephyrus. Obtuſior liquida eſt, ut em & en.

D. Quid eſt ſemivocalis firma? P. Quæ contractis labris inſtar ſecundarum vocalium effertur, & immutabilem ſonum habet: unde & firma dicitur, ut jod, vau, ef.

D. Quid est muta? P. Est consona quæ sola duntaxat conatum quendam mutit.

D. Quotuplex est muta? P. Duplex, aperta aut clausa.

D. Quid est aperta? P. Quæ labris apertis mutit exiliús.

D. Quotuplex est aperta? P. Duplex, primi generis & secundi.

D. Quid est aperta primi generis? P. Quæ præcipuo organo dētium effertur: ut, Te & De.

D. Quid est aperta secundi generis? P. Est muta quæ præcipuo palati organo effertur: ut Ce, Qu, Ge, Ka, sono prorsus eadem est litera cum c: ipsi veró c, succedit q. Hîc character item unus est in scriptura, nomine ix, pro duabus cōsonis cs vel gs: ut in crux & frux: quod agnoscitur é casibus crucis & frugis.

D. Quid est muta clausa? P. Quæ labiis compressis interiore bucca mutit: ut Be & Pe.

D. Sed ha, quam vim habet? P. Est nota aspirationis. Atque hæc est distributio literarum, quæ adhuc confusis generum partibus, & compendiis scripturæ additis, ita enumeratæ sunt, a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, o, p, q, r, s, t, u, x, y, z. quibus adde j & v, numerabis viginti quinque.

Cap. 2, de syllabæ compositione & quantitate.

D. Age veró, quoniam declarasti literam, jam nobis syllabam expone. P. Syllaba est integri soni cōprehensio: estq; unius literæ, aut multarū.

D. Quid est syllaba unius literæ? P. Est vocalis quælibet: ut, a, e, i, o, u, y.

D. Quo-

D. Quotuplex est syllaba plurium literarum? P. Duplex, vocalium tantúm, aut etiam consonantium. Vocalium tantúm duarum est: & ideo diphthongus appellatur: duarum nempe vocalium in unam syllabam comprehensus sonus.

D. Quotuplex est diphthongus? P. Quadruplex, æ, œ, au, eu: quales sunt primæ syllabæ in ætas, œstrum, audio, euge.

D. Syllaba é vocali & consonante mista, é quot literis componitur? P. Modó é duabus, ut as: modó é tribus, ut ars: modó é quatuor, ut mars: modó é quinque, ut stans: modó é sex, ut stirps.

D. Intelligo syllabæ naturam, quantitatem requiro. P. Syllaba est brevis aut longa.

D. Quid est syllaba brevis? P. Quæ constat unico tempore: ut utraque syllaba in nomine *Deus*, & in verbo *lege*: & ita notatur in vocali, si opus est, ˘.

D. Quid est syllaba longa? P. Quę cõstat duobus temporibus: ut utraque syllaba in *audi* & *vervex*: & ita notatur, si opus est, ¯.

Cap. 3, de accentu & notatione.

D. Percepi de vocis partibus: quæ sunt ejus communes affectiones? P. Accentus & notatio.

D. Quid est accentus? P. Quo vox velut accinitur: estque in unica syllaba dictionis, quamvis polysyllabæ, unicus.

D. Quotuplex est accentus? P. Duplex, acutus aut hebes.

D. Quid est acutus accentus? P. Quo syllaba elevatur.

D. Quotuplex est hebes? P. Duplex, gravis aut flexus.

D. Quid est gravis? P. Quo syllaba deprimitur.

D. Quid est flexus? P. Quo syllaba tum elevatur, tum deprimitur. Ita veró singuli, si quid opus est, notantur: acutus', gravis`, flexus^.

D. Quid est notatio? P. Qua disquiritur species aut figura vocis.

D. Quid est species? P. Qua disquiritur primáne sit vox, aut aliunde flexa. Prima, ut amo: flexa, ut amabilis.

D. Quid est figura? P. Qua disquiritur utrúm vox simplex an composita sit. simplex, ut doctus, amo: composita, ut perdoctus, redamo.

Cap. 4, de Nomine.

D. Habeo adhuc quid sit vox, quæ vocis partes in syllabis, quæ particulæ in literis, quæ sint propria accidentia in notatione: nunc genera declarato. P. Vox est numeri aut sine numero.

D. Quid est vox numeri? P. Quæ adsignificat numerum: & quidem singularem aut pluralem: unde vox singularis numeri aut pluralis appellatur.

D. Quid est singularis numerus? P. Quo res singularis exprimi potest, ut doctus, legit.

D. Quid est pluralis? P. Quo res plures exprimi possunt, ut, docti, legunt.

D. Vox

D. Vox numeri quotuplex est? P. Duplex, finita aut infinita. Finita, quæ numerum certo flexionis fine definitum adsignificat, ut doctus, legit. Infinita, quæ non adsignificat: ut nequam, præsto, amare, amandi.

D. Quid? Vox numeri quomodo præterea dividitur? P. In nomen & verbum.

D. Quid est nomen? P. Vox numeri cum genere & casu.

D. Quid est genus? P. Est differentia nominis secundum sexum: estq; simplex aut multiplex.

D. Simplex quotuplex est? P. Duplex, naturale aut fictum. naturale, est masculinum aut fœmininum.

D. Quid est nomen masculini generis? P. Cui *hic* præponi potest, ut, hic Magister.

D. Quid est nomen fœmininum? P. Cui *hæc* præponi potest, ut, hæc Musa. sed aliquando masculinum, item fœmininum genus, promiscuum est: & idem utrique sexui convenit: ut aquila, pro mare fœminaque, est fœminini generis: passer, masculini.

D. Quid est nomen ficti generis? P. Cui *hoc* præponi potest, & neutrum dicitur: ut hoc templum.

D. Multiplex genus quomodo dividitur? P. In commune aut omne.

D. Quid est nomen communis generis? P. Cui *hic* & *hæc* præponi potest, ut civis, sacerdos.

D. Quid est nomen omnis generis? P. Cui *hic* & *hæc* & *hoc* præponi potest, ut felix, amans.

D. Quomodo dividitur nomen é differentia generis? P. In substantivum vel adjectivum.

D. Quid est nomen substantivum? P. Est nomen generis unius, aut summúm duplicis, ut pater, civis.

D. Quid est adjectivum? P. Quod cum tribus generibus declinatur: vel uno fine, ut felix, amans; vel duobus, ut fortis, forte: vel tribus, ut bonus, bona, bonum: acer, acris, acre.

D. Quid adjectivis plerisque accidit? P. Comparatio.

D. Comparationis gradus quot sunt? P. Post absolutum duo gradus nominantur, comparativus & superlativus.

D. Quid est comparativus. P. Qui per absolutum cum *Magis* explicatur, ut doctior, magis doctus.

D. Quid est superlativus? P. Qui per absolutum cum *Maximé* explicatur: ut, doctissimus, maximé doctus. Formatur uterque gradus ex absoluto fine in *i*: comparativus, addito *or* pro communi genere, & *us* pro neutro: ut, á docti, doctior, doctius: à forti, fortior, fortius. Superlativus formatur addito *ssimus* pro masculino, *ssima* pro fœminino, *ssimum* pro neutro: ut, doctissimus, doctissima, doctissimum: fortissimus, fortissima, fortissimum. Si tamen absolutus desinat in *er*, superlativus masculinus fit addito *rimus*, fœmininus *rima*, neuter *rimum*: ut, niger, nigerrimus, nigerrima, nigerrimum.

Cap. 5, de casu, & prima declinatione parisyllaba.

D. Ac-

D. Accepi de generibus, pérque genera comparationibus. Quid est casus? P. Est specialis terminatio nominis.

D. Quotuplex est? P. Sextuplex, ut deinceps appellatur, nominativus, genitivus, dativus, accusativus, vocativus, ablativus. Casus bini similes sunt: nominativus & vocativus in utroque numero: dativus & ablativus in plurali: ut, Magister, magister: magistri, magistri: magistris, magistris. In neutris autem similes sunt in utroque numero terni, nominativus, accusativus, vocativus: & plurales in a, ut templum, templa: tempus, tempora.

D. Nominis per has differentias flexio quomodo vocatur? P. Declinatio.

D. Quotuplex est declinatio? P. Duplex: parisyllaba & imparisyllaba.

D. Quid est parisyllaba? P. Cujus nominativo singulari dativus pluralis in īs parisyllab. est, ut musa musis: dominus, dominis.

D. Quotuplex est parisyllaba? P. Duplex: prima, quę nominativo singulari definit in a fœmininum, genitivo in æ, dativo in æ, accusativō in am, ablativo in ā: nominativo plurali in æ, genitivo in ārum, accusativo in ās: ut,

Musa, musæ, musæ, musam, musa, musa:
Musæ, musarum, musis, musas, musæ, musis.

D. Quid est secunda parisyllaba? P. Quæ nominatiuo singulari definit in s, vel, r, masculinum, vel in neutrum: genitivo in i, dativo & ablativo in ō, accusativo in ūm: plurali nominativo

in i vel a, genitivo in orum, accusativo in os vel a.

D. Da exemplum de s.

P. Dominus, domini, domino, dominum, domine, domino:

Domini, dominorum, dominis, dominos, domini, dominis.

us, vocativo in e mutatur. tria desinunt in i, filius, fili: genius, geni: meus, mi. Deus vocativo manet. à propriis autem in *ius* tollitur *us*, ut Antonius, Antoni.

D. Da exemplum de r. P. In r triplicia sunt, er, ir, ur. In er, ut,

Magister, magistri, magistro, magistrum, magister, magistro:

Magistri, magistrorum, magistris, magistros, magistri, magistris.

In ir unicum est:

Vir, viri, viro, virum, vir, viro:

Viri, virorum, viris, viros, viri, viris.

In ur item unicum est:

Satur, saturi, saturo, saturum, satur, saturo:

Saturi, saturorũ, saturis, saturos, saturi, saturis.

D. Da exemplum de m.

P. Scamnum, scamni, scamno, scamnum, scamnum, scamno:

Scamna, scamnorum, scamnis, scamna, scamna, scamnis.

Cap. 6, de parisyllabis adjectivis anomalis.

D. Plané intellexi quæ adhuc de prima declinatione parisyllaba exposuisti. Adjectiva igitur parisyllaba cujus sunt declinationis? P. Utriusque

que parisyllabæ: sed vario genere, ut bonus, bona, bonum. atque ex iis unum & viginti sunt anomala: sed tria, Ego, Tu, Sui, anomaliam præcipuam habent.

Ego, mei, mihi, mē, mē:
Nos, nostrum vel nostri, nobis, nos, nobis.
Tu, tui, tibi, tē, tu, tē:
Vos, vestrū vel vestri, vobis, vos, vos, vobis.
Sui, sibi, sē, sē:
Sui, sibi, sē, sē.

Hoc tertium caret nominativo & vocativo utriusque numeri. Ex his tribus demonstrativis oriuntur possessiva regularia, meus, mea, meum: noster, nostra, nostrum: tuus, tua, tuum: vester, vestra, vestrum: suus, sua, suum. Reliqua ex illis anomalis, casus primæ & secundæ parisyllabæ magis ostendunt. Sedecim sequentia genitivos habent in us, dativos in i: tria prima genitivum habent in jus.

Hic hæc hoc, hujus, huic, hunc hanc hoc, hoc hac hoc:
Hi hæ hæc, horum harum horum, his, hos has hæc, his.
Is ea id, ejus, ei, eum eam id, eo ea eo:
Ei vel ii, (aliquádo î) eæ, ea, eorum earum eorum, eis vel iis, (aliquando îs) eos eas ea, eis vel iis, aliquando etiam îs.
Idem eadem idem, compositum, similiter declinatur.
Quis vel qui, quæ vel qua, quod vel quid, cujus, cui, quem quā quod vel quid, quo qua quo, aliquando etiam qui omni genere:

Qui quæ vel qua, quorum quarum quorum, quibus vel quîs, quos quas quæ vel qua, quibus vel quîs.

Sequentia tredecim adjectiva in ius desinunt genitivo: iste ista istud, istius, isti: ille illa illud, illius, illi: ipse ipsa ipsum, ipsius, ipsi: alius alia aliud, alîus, alii: alter altera alterum, alterius, alteri: unus una unum, & hinc derivata ullus ulla ullum: nullus nulla nullum: uter utra utrum, & hinc orta uterque utraque utrunque, neuter neutra neutrum, solus sola solum, totus tota totum. Ex his octo; Alius, alter, hic, is, iste, ille, ipse, qui, relativa sunt alicujus antecedentis: tria etiam, Hic, Iste, Ille, demonstrativa. at Sui & Suus reciproca sunt proximi antecedentis: ut *Omnis natura est conservatrix sui.* Duo reliqua Ambo & Duo sic declinantur,

Ambo ambæ ambo, amborum ambarũ amborum, ambobus ambabus ambobus, ambos ambas ambo, ambo ambæ ambo, ambobus ambabus ambobus.

Duo duæ duo, duorum duarum duorũ, duobus duabus duobus, duos duas duo, duo duæ duo, duobus duabus duobus.

Cap. 7, de declinatione imparisyllaba.

D. Percipio parisyllabæ declinationis doctrinam: nunc imparisyllabam expone. P. Declinatio imparisyllaba est, cujus nominativo singulari dativus pluralis imparisyllabus est. finitur autem singulari genitivo in is, dativo in i, accusa-

[illegible] tivo in

tivo in m vel in neutralem finem, ablativo in e: plurali nominativo & accusativo in es vel in a, genitivo in um, dativo & ablativo in ibus.

D. Quotuplex est imparisyllaba declinatio? P. Duplex: prima, cujus genitivus singularis non crescit, & fines habet e, s, r.

D. Da exemplum de e. P. Mantile, Mantilis, mantili, mantile, mantile, mantili:

Mantilia, mantilium, mantilibus, mantilia, mantilia, mantilibus.

D. Da exemplum de s.

P. Vulpes, vulpis, vulpi, vulpem, vulpes, vulpe:
Vulpes, vulpium, vulpibus, vulpes, vulpes, vulpibus.

Corbis, corbis, corbi, corbem, corbis, corbe:
Corbes, corbium, corbibus, corbes, corbes, corbibus.

In s desinentia fœminina sunt es & is.

D. Da exemplum de r.

P. Venter, ventris, ventri, ventrem, venter, ventre:
Ventres, ventrium, ventribus, ventres, ventres, ventribus.

Nomina in r sunt masculina.

D. Quid est declinatio imparisyllaba secunda? P. Cujus genitivus singularis crescit, & masculinorum est.

D. Quomodo dividitur incrementum? P. Per vocales a, e, i, o, u, y.

D. Da crescentia per a. P. Titan, titanis: civitas, civitatis: thema, thematis.

D. Da crescentia per e. P. Res, rei, rei, rem, res, rē: res, rerum, rebus, res, res, rebus. Reliqua magis analogiam sequuntur, ut, anser, anseris: pes, pedis: serpens, serpentis.

D. Da crescentia per i. P. Glis, gliris: Apollo, Apollinis: nomen, nominis.

D. Da crescentia per o. P. Heros, herois: mos, moris: litus, litoris.

D. Da crescentia per u. P. Commune sūs, suis: grūs gruis. (Quædam in us declinantur, ut, Census, census, censui, censum, census, censu: Census, censuum, censibus, census, census, censibus.

Iesus, Iesu, Iesu, Iesum, Iesu, Iesu) Rus, ruris: nux, nucis.

D. Da crescentia per y. P. Calyx, calycis: chalybs, chalybis: sardonix, sardonychis.

LIBRI SECVNDI CAP. I, DE VERBO.

D. Tenere mihi videor quandam nominum Etymologiam: vehementer aveo similem verborum doctrinam cognoscere. Quid igitur est verbum? P. Vox numeri cum tempore & persona.

D. Quid est tempus? P. Est differentia verbi secundum præsens, præteritum, & futurum. Præsens omne infectum est: præteritum & futurum, partim infectum, partim perfectum. Itaque verbi finiti tria tempora sunt infecta, & totidem

tidem perfecta: eaq; ferme gemina. Infecta, ut præsens primum, Amo, amor: secundum, amem, amer. Præteritum primum, amabam, amabar: secundum amarem, amarer. E præterito infecto primo oritur participium nomen, mutato bam vel bar in ns: ut ab amabam, sedebam, loquebar, amans, sedens, loquens. Futurum primum, amabo, amabor: secundum, ama, amare: amato, amator: amem tamen & amer etiam futuri potest esse, sicut amarem præsentis, præteriti & futuri. Perfecta, ut præteritum primum, amavi: secundum, amaverim. Plusquamperfectum primum, amaveram: secundum, amavissem. Futurum amavero, vel amaverim. hoc enim etjam ambiguum est, ut amem & amarem.

D. Unde formatur præteritum perfectũ primum? P. A secunda præsentis, novissima litera s versa in vi, ut amas, amavi: fles, flevi: petis, petivi: audis, audivi.

D. Anomalia preteriti perfecti precipua quotuplex est? P. Duplex prima, ubi v convertitur in u, sublata præcedente vocali: ut domas, domui pro domavi. sic habes habui, alis alui, salis salui. Anomalia autem secunda, est ubi tollitur v cum vocali præcedenti, ut, juvas juvi, moves movi, defendis defendi, comperis comperi.

D. Quotuplex est verbum infinitum? P. Duplex est, perpetuum aut participiale. Perpetuum, quod flectitur per re vel ri vel se: re vel ri, præsenti tempore: ut, amare, amari: se, præterito infecto, perfecto, plusquamperfecto: ut,

amavisse. Participiale, quod flectitur specie nominalis casus: estque gerundium vel supinum.

D. Quid est gerundium? P. Quod flectitur in di & do, præsenti & præterito tempore, in dum futuro. primum formatur à preterito infecto finito primo, mutato bam vel bar in ndi, ut, amabam amandi, sedebam sedendi, loquebar loquendi. à primo gerundio duo reliqua oriuntur. E gerundio nascitur nomen gerundivum in dus, da, dum: ut, Quibus tuendus erat: A Deó vobis caussa ordienda est.

D. Quid est supinum? P. Quod flectitur in u præsenti & præterito, in um futuro: ut, amatu, amatum.

D. Unde formatur supinũ primum? P. A preterito perfecto finito primo, novissimis duabus literis in tu versis: ut, amavi amatu, juvi jutu, flevi fletu, movi motu, petivi petitu, audivi auditu. ui tamen mutatur in itu, ut domui domitu, habui habitu, alui alitu, salui saltu pro salitu.

D. Unde formatur supinum secundum? P. A primo, addito m, ut ab amatu amatum. hinc oritur nomen in rus, mutato m in rus: ut ab amatum amaturus.

D. Quid est persona? P. Specialis terminatio verbi.

D. Quotuplex est? P. Triplex est in utroque numero. Singularis prima, Amo: secunda, amas: tertia, amat. Pluralis prima, amamus: secunda, amatis: tertia, amant.

D. Verbum é differentia personæ quomodo dividi-

dividitur? P. In formam primam & secundam.

D. Quæ est prima forma? P. Quando thema desinit in o, ac, si flecti possit in or, activum verbum dicitur, ut amo amor: si non possit, dicitur neutrum ut sedeo.

D. Quæ est secunda forma? P. Secunda est quãdo thema desinit in or, ac, si flecti possit in o, dicitur passivum, ut amor amo: secus dicitur deponens, ut loquor. Passiva & deponentia perfectis temporibus carent. Supina veró deponentium á fictis præteritis formantur, ut insidiatu, veritu, fruitu, mentitu, tanquam ab insidiavi, verui, fruivi, mentivi. hinc oritur nomen, addito s, passivæ vel deponentis significationis, ut amatus loquutus.

D. Verba impersonalia quomodo flectũtur? P. Tertia tantúm singulari, vt pœnitet, amatur: & thematum suorum legem sequuntur.

Cap. 2, de prima conjugatione in bo.

D. Flexio verbi secundum tempora & personas quomodo appellatur? P. Conjugatio.

D. Quotuplex est? P. Duplex, in bo vel in am.

D. Quid est conjugatio in bo? P. Cuius futurum infectum primum desinit in bo vel bor. Formatur autem á secunda persona singulari, temporis præsentis primi, conversa s vel ris in bo vel bor, ut amas amaris, amabo amabor: fles fleris, flebo flebor. Conjugatio in bo duplex est, prima, cujus secunda persona singularis temporis præsentis primi, desinit in *ās* activé, vel aris passivé.

D. Da exemplum formæ primæ.

P. Amo, amas, amat:
Amamus, amatis, amant.
Amem, ames, amet:
Amemus, ametis, ament.
Amabam, amabas, amabat:
Amabamus, amabatis, amabant.
Amarem, amares, amaret:
Amaremus, amaretis, amarent.
Amabo, amabis, amabit:
Amabimus, amabitis, amabunt.
Ama vel amato, amato:
Amate vel amatote, amanto.
Amavi, amavisti, amavit:
Amavimus, amavistis, amaverunt vel amavere.
Amaverim, amaveris, amaverit:
Amaverimus, amaveritis, amaverint.
Amaveram, amaveras, amaverat:
Amaveramus, amaveratis, amaverant.
Amavissem, amavisses amavisset:
Amavissemus, amavissetis, amavissent.
Amavero vel amaverim, amaveris, amaverit:
Amaverimus, amaveritis, amaverint.
Amare,
Amavisse:
Amandi, amando, amandum:
Amatu, amatum.

D. Da exemplum formæ secundæ.

P. Amor, amaris vel amare, amatur:
Amamur, amamini, amantur.

Amer,

Amer,ameris vel amere, ametur:
Amemur,amemini,amentur.
Amabar,amabaris vel amabare,amabatur:
Amabamur, amabamini, amabantur.
Amarer,amareris vel amarere,amaretur:
Amaremur,amaremini,amarentur.
Amabor,amaberis vel amabere,amabitur:
Amabimur,amabimini,amabuntur.
Amare vel amator,amator:
Amamini,amantor.
Amari.

Cap. 3, de secunda conjugatione in bo.

D. Quid est secunda conjugatio in bo? P. Cujus secunda persona singularis, temporis præsentis, primi, desinit in ēs vel eris.

D. Da exemplum formæ primæ, conjugationis in bo secundæ.

P. Fleo,fles,flet:
Flemus,fletis,flent.
Fleam,fleas,fleat:
Fleamus,fleatis,fleant.
Flebam,flebas,flebat:
Flebamus,flebatis,flebant.
Flerem,fleres,fleret:
Fleremus,fleretis,flerent.
Flebo,flebis,flebit:
Flebimus,flebitis,flebunt.
Fle vel fleto,fleto:
Flete vel fletote,flento.
Flevi,flevisti,flevit:

Flevimus,flevistis,fleverunt vel flevere.
Fleverim,fleveris,fleverit:
Fleverimus,fleveritis,fleverint.
Fleveram,fleveras,fleverat:
Fleveramus,fleveratis,fleverant.
Flevissem,flevisses,flevisset:
Flevissemus,flevissetis,flevissent.
Flevero vel fleverim,fleveris,fleverit:
Fleverimus,fleveritis,fleverint.
Flere:Flevisse.
Flendi,flendo,flendum:
Fletu fletum.

D.Da exemplum formæ secundæ.

P.Fleor,fleris vel flere,fletur:
Flemur,flemini,flentur.
Flear,flearis vel fleare,fleatur:
Fleamur,fleamini,fleantur.
Flebar,flebaris vel flebare,flebatur:
Flebamur,flebamini,flebantur.
Flerer,flereris vel flerere,fleretur:
Fleremur,fleremini,flerentur.
Flebor,fleberis vel flebere,flebitur:
Flebimur,flebimini,flebuntur.
Flere fletor,fletor:
Flemini flentor.
Fleri.

Cap. 4. de prima conjugatione in am.

D.Intellexi de conjugatione in bo. Quid est conjugatio in am? P. Cujus futurum infectum primum definit in am, vel in ar. Formatur autem

tem à persona prima singulari præsentis temporis primi, o vel or in am vel ar converso: ut peto petam, audio audiam, petor petar, audior audiar.

D. Quotuplex est cõjugatio in am? P. Duplex. prima, cujus secunda singularis, temporis præsentis primi, desinit in is vel ĕris, ut petis, peteris.

D. Da exemplum.

P. Peto, petis, petit:
Petimus, petitis, petunt.
Petam, petas, petat:
Petamus, petatis, petant.
Petebam, petebas, petebat:
Petebamus, petebatis, petebant.
Peterem, peteres, peteret:
Peteremus, peteretis, peterent.
Petam, petes, petet:
Petemus, petetis, petent.
Pete vel petito, petito:
Petite vel petitote, petunto.
Petivi, petivisti, petivit:
Petivimus, petivistis, petiverunt vel petivere.
Petiverim, petiveris, petiverit:
Petiverimus, petiveritis, petiverint.
Petiveram, petiveras, petiverat:
Petiveramus, petiveratis, petiverant.
Petivissem, petivisses, petivisset:
Petivissemus, petivissetis, petivissent.
Petivero vel petiverim, petiveris, petiverit:
Petiverimus, petiveritis, petiverint.
Petere: Petivisse.

Petendi,petendo,petendum:
Petitu,petitum.

D.Da exemplum formæ secundæ.

P.Petor,peteris vel petere,petitur:
Petimur,petimini,petuntur.
Petar,petaris vel petare,petatur:
Petamur,petamini,petantur.
Petebar, petebaris vel petebare, petebatur:
Petebamur,petebamini,petebantur.
Peterer,petereris vel peterere,peteretur:
Peteremur,peteremini,peterentur.
Petar,peteris vel petere,petetur:
Petemur,petemini,petentur.
Petere vel petitor,,petitor:
Petimini,petuntor.
Peti.

Cap. 5, de anomalia Edo, Sum, Volo, Fero.

D. Quot sunt præcipuè anomala conjugationis hujus? P. Quatuor, Sum, Volo, Fero, Edo.

D.Quomodo conjugatur Edo?

P.Edo,ēs,ēst:
Edimus, editis, edunt. sic edam, edebam, essem, edam: es vel ede, edite vel este.
Edi, ederim, ederam, edissem, edero vel ederim: Esse; edisse: Edendi, edendo, edendum: Esu esum, vel estu estum.

D.Conjuga Sum.

P.Sum,es,est:
S.mus,estis,sunt.
Sim,sis,sit:Simus,sitis,sint.

Eram,

Eram,eras,erat:
Eramus,eratis,erant:
Eſſem,eſſes,eſſet:
Eſſemus,eſſetis,eſſent.
Ero,eris,erit:
Erimus,eritis,erunt.
Es vel eſto,eſto:
Eſte vel eſtote,ſunto.
Fui,fuiſti,fuit:
Fuimus,fuiſtis,fuerunt vel fuere.
Fuerim,fueris,fuerit:
Fuerimus,fueritis,fuerint,
Fueram,fueras,fuerat:
Fueramus,fueratis,fuerant.
Fuiſſem,fuiſſes,fuiſſet:
Fuiſſemus,fuiſſetis,fuiſſent.
Fuero vel fuerim,fueris,fuerit:
Fuerimus,fueritis,fuerint.
Eſſe,fuiſſe,& á forem fore:(ſic affore, confore, defore,profore) vnde futurus.

D.Conjuga Volo.

P.Volo,vīs,vult:
Volumus,vultis,volunt.
Velim,velis,velit:
Velīmus,velītis,velint.
Volebam,volebas,volebat:
Volebamus,volebatis,volebant.
Vellem,velles,vellet:
Vellemus,velletis,vellent.
Volam,voles,volet:
Volemus,voletis,volent.

Volui, voluisti, voluit:
Voluimus, voluistis, voluerunt vel voluere.
Voluerim, volueris, voluerit:
Voluerimus, volueritis, voluerint.
Volueram, volueras, voluerat:
Volueramus, volueratis, voluerant.
Voluissem, voluisses, voluisset:
Voluissemus, voluissetis, voluissent.
Voluero vel voluerim, volueris, voluerit:
Voluerimus, volueritis, voluerint.
Velle: Voluisse.

D. Da mihi huius verbi analoga. P. Malo, Nolo. D. Conjuga Malo.

P. Malo, mavis, mavult:
Malumus, mavultis, malunt.
Malim, malis, malit:
Malimus, malitis, malint.
Malebam, malebas, malebat:
Malebamus, malebatis, malebant.
Mallem, malles, mallet:
Mallemus, malletis, mallent.
Malam, males, malet:
Malemus, maletis, malent.
Malui, maluisti, maluit:
Maluimus, maluistis, maluerũt vel maluere.
Maluerim, malueris, maluerit:
Maluerimus, malueritis, maluerint.
Malueram, malueras, maluerat:
Malueramus, malueratis, maluerant.
Maluissem, maluisses, maluisset:
Maluissemus, maluissetis, maluissent.

Maluero vel maluerim, malueris, maluerit:
Maluerimus, malueritis, maluerint.
Malle: Maluisse.

D. Conjuga Nolo.

P. Nolo, nonvis, nonvult:
Nolumus, nonvultis, nolunt.
Nolim, nolis, nolit:
Nolimus, nolitis, nolint.
Nolebam, nolebas, nolebat:
Nolebamus, nolebatis, nolebant.
Nollem, nolles, nollet:
Nollemus, nolletis, nollent.
Nolam, noles, nolet:
Nolemus, noletis, nolent.
Noli, vel nolito, nolito:
Nolite vel nolitote.
Nolui, noluisti, noluit;
Noluimus, noluistis, noluerunt vel noluere.
Noluerim, nolueris, noluerit:
Noluerimus, nolueritis, noluerint.
Nolueram, nolueras, noluerat:
Nolueramus, nolueratis, noluerant.
Noluissem, noluisses, noluisset:
Noluissemus, noluissetis, noluissent.
Noluero vel noluerim, nolueris, noluerit:
Noluerimus, nolueritis, noluerint.
Nolle: Noluisse.

D. Conjuga fero.

P. Fero, fers, fert:
Ferimus, fertis, ferunt.
Feram, feras, ferat:

Feramus,feratis,ferant.
Ferebam,ferebas,ferebat:
Ferebamus,ferebatis,ferebant.
Ferrem,ferres,ferret:
Ferremus,ferretis,ferrent.
Feram,feres,feret:
Feremus,feretis,ferent.
Fer vel ferto,ferto:
Ferte vel fertote,ferunto.
Tuli,tulisti,tulit.
Tulimus,tulistis,tulerunt vel tulere.
Tulerim,tuleris,tulerit:
Tulerimus,tuleritis,tulerint.
Tuleram,tuleras,tulerat:
Tuleramus,tuleratis,tulerant.
Tulissem,tulisses,tulisset:
Tulissemus, tulissetis, tulissent.
Tulero vel tulerim,tuleris,tulerit:
Tulerimus,tuleritis,tulerint.
Ferre:Tulisse.
Ferendi,ferendo,ferendum
Latu,latum.
Feror,ferris vel ferre,fertur:
Ferimur,ferimini,feruntur.
Ferar,feraris vel ferare feratur:
Feramur,feramini,ferantur.
Ferebar,ferebaris vel ferebare,ferebatur:
Ferebamur,ferebamini,ferebantur.
Ferrer,ferreris,vel ferrere,ferretur:
Ferremur,ferremini,ferentur.
Ferar,fereris vel ferere,feretur:

Fere-

Feremur,feremini,ferentur.
Ferre vel fertor,fertor:
Ferimini,feruntor:
Ferri.

Cap.6,de secunda conjugatione in am.

D.Quid est secunda conjugatio in am?P.Cujus secunda persona singularis, præsentis temporis finiti primi, desinit in īs vel īris: vt audīs audīris.

D.Da exemplū secundæ cōjugatinnis in am.
P.Audio,audis,audit:
Audimus,auditis,audiunt.
Audiam,audias,audiat:
Audiamus,audiatis,audiant.
Audiebam,audiebas,audiebat:
Audiebamus,audiebatis,audiebant.
Audirem,audires,audiret:
Audiremus,audiretis,audirent.
Audiam,audies,audiet:
Audiemus,audietis,audient.
Audi vel audito,audito:
Audite vel auditote,audiunto.
Audivi,audivisti,audivit:
Audivimus,audivistis, audiverunt vel audivere,
Audiverim,audiveris,audiverit:
Audiverimus,audiveritis,audiverint.
Audiveram,audiveras,audiverat:
Audiveramus,audiveratis,audiverant.
Audivissem,audivisses,audivisset:

Audiviſſemus, audiviſſetis, audiviſſent.
Audivero vel audiverim, audiveris, audiverit:
Audiverimus, audiveritis, audiverint.
Audire: audiviſſe.
Audiendi, audiendo, audiendum:
Auditu, auditum.

D. Da exemplum formæ ſecundæ.

P. Audior, audiris vel audire, auditur:
Audimur, audimini, audiuntur.
Audiar, audiaris vel audiare, audiatur:
Audiamur, audiamini, audiantur.
Audiebar, audiebaris vel audiebare, audiebatur;
Audiebamur, audiebamini, audiebantur.
Audirer, audireris vel audirere, audiretur;
Audiremur, audiremini, audirentur:
Audiar, audieris vel audiere, audietur:
Audiemur, audiemini, audientur.
Audire vel auditor, auditor:
Audimini audiuntor.
Audiri.

Cap. 7, de Adverbio.

D. Vocem numeri expoſuiſti: vocem ſine numero nunc expone. P. Vox ſine numero eſt quę nullum numerum adſignificat.

D. Quotuplex eſt ? P. Duplex, Adverbium aut Conjunctio. Adverbium eſt vox, ſine numero, quæ voci alii adjungitur : ut valde conſtans, diſſerit acuté, bene mane. Eſt igitur adverbium tanquam adjectivum nominum, verborum, adverbiorum etiam ipſorum. Adverbia

nativa

nativa pauciora ſunt, mox, vix, cras, heri, ita, non: item quæ interjectiones dicuntur, Hei, heu, heus, o, væ, pro: tum quæ præpoſitiones dicuntur, præſertim inſeparabiles, ut di, dis, re, ſe, am, con. Separabiles autem præpoſitiones ſunt, Ad, apud, penes, & ceteræ. Per & præ compoſitæ ſuperlationem ſignificant, ut perdoctus, prædives. Adverbia plurima oriuntur é nominibus: primó integris, ut ſunt nominativi, utrũ, multum, minimum, potiſſimum: ut ablativi, initio, veſpere, quo, qua, neceſſario, modŏ: & o ancipiti, ſero, ſedulo, mutuo, cito, crebro. Secundó, adverbia fiunt ex ablativo, ſed vario varié, é ſubſtantivi ablativo in im multa ſunt, ut á ſumma ſummatim. Quædam in itus exeunt, ut á fundo funditus. Sed ex adjectivi ablativo in o, vel i, longé maxima copia eſt. o mutatur in ē, ut é docto doctiſſimo, docté doctiſſimé. at benĕ malĕ, ritĕ. Si ablativus in i deſinat, addito *ter* adverbium efficitur, ut ab acri, acriter: á forti, fortiter. A comparativis orta deſinunt in us: ut á doctiori, doctiús: á fortiori, fortiús. In ns deſinentia mutant i in er, ut ab amans diligens, amãter, diligenter. Numerandi quoq; adverbia, ex cepto ſemel, á nominibus fiunt: bis, (pro duis) ter, quater, quinquies, ſexies, ſepties, octies, novies, decies, undecies, duodecies, tredecies, quaterdecies, quindecies, ſexieſdecies, & ſexdecies, decieſſepties: & deinceps vicies, tricies, quadragies, quinquagies, ſexagies, ſeptuagies, octogies, nonagies: ſic centies, ducenties, trecenties, qua-

dringenties, quingenties, ſexcenties, ſeptingenties, octingenties, nongenties, millies: ſic quoties, aliquoties, toties: atque etiam illa in am, bifariam, trifariam, quadrifariam, multifariam, omnifariam, aliquotfariam: pridie, poſtridie, perendie, nudiuſtertius, nudiuſquartus, & ſimilia, compoſita ſunt ex die tertio, quarto: id eſt nunc eſt dies tertius, nunc eſt dies quartus: ſemperque de præterito dicuntur: ut, Nudiuſtertius dedi ad te epiſtolam.

Cap. 8, *de Conjunctione.*

D. Extrema pars Etymologiæ reſtat in Conjunctione: de qua demum quid ſentias requiro. P. Conjunctio eſt vox ſine numero, qua orationis multiplicis partes cōjunguntur. ea eſt enuntiativa aut ratiocinativa.

D. Quid eſt Enuntiativa? P. Qua enuntiationis partes conjunguntur: partim congregativa, partim ſegregativa. Congregativa, eſt qua partes tanquam ſimul veræ congregantur: & quidem copulativa aut connexiva. Copulativa, eſt qua partes abſoluté copulantur, ut, ac, &, etiam, item, nec, quoque, que: & compoſitæ, atque, itemque, neque. Connexiva, eſt qua pars conſequens ex antecedentis conditione connectitur, ut, ſi, ſin, ni, niſi. Segregativa, eſt qua enuntiationis partes, velut non ſimul veræ, ſegregantur: & diſcretiva eſt aut disjunctiva. Diſcretiva, qua partes ratione tantúm ſegregantur, ut, autem, aſt, at, etſi, extra quam, interea, interim,

terim,ut, veró, verúm, nunc, tamen, tametsi, quanquam,quamuis,præterquam. Disjunctiva,qua partes ipsæ ita segregantur, tanquam una tantúm vera esse possit.ut,aut,an, vel, ve, sive. Ratiocinativa, est qua ratiocinationis pars alia ex alia velut asseritur. Ea caussalis aut rationalis appellatur. Caussalis, qua antecedentis rei caussa redditur:ut,enim, enimvero, etenim, siquidē,quoniam,quia, quód, propterea quód, nam,namque. Rationalis, qua ex antecedente consequens concluditur: ut, ergo, ita, itaque, ideo, igitur, quare, quamobrem, quapropter, quocirca.

LIBRI TERTII.

CAP. I, DE CONVENIENTIA NOMINIS.

D. Exposita est Etymologia suis partibus: Syntaxis jam dicenda est. P. Syntaxis est secunda pars Grammaticæ, quæ vocum structuram interpretatur. estque in convenientia, vel rectione.

D. Quid est convenientia? P. Quando voces communibus proprietatibus conveniunt: quæ primó est vocum numeri, ut nominis cum nomine, & verbi cum nomine. Convenientia nominis cum nomine, est in numero, genere, casu.

D. Da exemplum. P. Gravi teste privatus sum amoris summi erga te mei, patre tuo, claris-

simo viro. Hîc tria substantiva sunt, teste, patre, viro, convenientia inter se numero, genere, casu: & cum suis adjectivis, gravi, tuo, clarissimo, similiter convenientia numero, genere, casu, quomodo amoris, summi, mei, etiam inter se conveniunt.

Cap. 2, de convenientia verbi.

D. Qualis est convenientia verbi cum nomine? P. Est in numero & persona. Ego & Nos primæ, Tu & Vos secundæ, nominativi reliquorum nominum tertiæ personæ habentur. Hinc nominativus nominis dicitur suppositum, verbum autem appositum: ut, Ego amo, nos amamus: Tu amas, vos amatis: Tullius amat, Tullij amant.

Cap. 3, de convenientia vocum sine numero.

D. Hæc de convenientia vocum numeri: Convenientia vocum sine numero quotuplex est? P. Duplex: Adverbii & Conjunctionis. usurpatur autem adverbium aliquando pro nomine relativo: ut Digna res est ubi nervos intendas, tuos, id est, in qua. Sic Ille, Ipse, unde: Causa est cur: Illud est quamobrem: Multa signa dederat, quamobrem responsurus non videretur. Adverbia quædam comparationis & numeri, convenientiam certam habent. *Quám* convenit omni gradui: Quám sint morosi qui amant: Perquam puerile. Comparativum autem unum comitatur; aut duobus interponitur:

tur: ut, Tullius disertior quám Atticus: Serius quám crudelius factum. Cum superlativo: Habere quám laxissimas habenas amicitiæ. *Ut* iungitur etiam superlativo: ut gravissimé diligétissiméque potui. *Tam* aliquando idem valet: Vituperanda est rei tam maximé necessariæ incuria. *Longè & multò* conveniunt comparativis & superlativis: Longé melior: Principi longé omnium gravissimo. Multó commodiora: Conspectus vester multó jucundissimus. Adverbia numerum significantia conveniunt distributivis nominibus: ut, bis bina: Septenos octies solis anfractus.

Cap. 4, de convenientia Conjunctionis.

D. Convenientia conjunctionum in quo spectatur? P. In ordine antecessionis, consecutionis, vel utriusque. Ex absolutis antecedunt, atque, ac, &, sed, sed etiam, verum, verumetiam, nedum, nec, neque, tum, quin, quinetiam. Tali genere atq; animo: Parcé ac duriter: Explosum & ejectum: & sic in reliquis. Coniunctio Et, á viginti ad centum præponit numeralium nominum minus: Ab hinc duos & viginti annos est mortuus. Sic in adverbiis, Proprium Catonis quater & quadragies caussam dixisse. Postponuntur tantúm, Quoque, & Que: Me scilicet maximé, sed proximé illum quoque fefellissent. Balbutire desinant, aperteque audeant dicere. Communes sunt, adeó, etiam, item, itemq;, in-

ſuper, præterea, vel. E conditionalibus, ſi, ni, niſi, communes ſunt: Sin pręponitur ſolúm. Sed præterea omnes cum temporibus omnibus finitis conveniunt: Si perficiunt, optimé: ſin minús. Ni exeunt, ni pereunt. Niſi ego inſanio. Eſt præterea conjunctionis hujus cōvenientia cum adverbio forté: Si forté, Niſi forté. E diſcretivis tantúm præponuntur aſt, at, imó, ſed, extraquā, prætérquam, quanquam, quamvis: Tu crebras á nobis literas expecta: aſt plures etiam mittito. Nullum á vobis præmium poſtulo, præterquam hujus diei memoriam ſempiternam. Quanquam omnibus finitis temporibus convenit: Quanquam abeſt á culpa, ſuſpicione tamen non caret. Quamvis tantúm ſecundis temporibus finitis convenit: Quamvis ille felix ſit. Poſtponuntur tantúm, autem, interea, interim, veró: Nil autem amabilius officio. Tum interea nullum veſtigium pecuniæ invenitis. Cúm interim Sylla cum iiſdem ipſis. Ego veró Servi vellem. Communes ſunt, alioqui, alioquin, ut, licet, tamén, porró. Ut & licet ſecundis tantúm temporibus finitis conveniunt: ut illud non cogitares, tamen, &c. Disjunctiva tantúm præponitur, excepto ve: Bis térve literas miſerat. An disjunctio eſt aliquando, ſed interrogativa: Erravit an potiús inſanivit Apronius? Vide utrum vis, argentum accipere, an cauſſam meditari tuam. E cauſſalibus tantúm præponitur, etenim, nam, namque: Enim tantúm poſtponitur. Communes ſunt, enimvero, ut, uti, ſiquidem

dem, ne: Vt, Quin & Ne, secundis temporibus conveniunt. E rationalibus tantúm præponuntur, sic quasobres, quamobrem, quapropter, quocirca. Communes sunt ergo, ita, itaque. Igitur ratiús præponitur: Igitur initió reges diversi, pars ingenium, alij corpus exercebant.

LIBRI QUARTI
CAP. I, DE RECTIONE SUBSTANTIVI.

D. Convenientiam vocum exposuisti: nunc rectionem eadem doctrinæ via expone. P. Rectio est, quando vox vocem certo fine flectionis regit: quæ primó erit in vocibus numeri, deinde in adverbiis. Atque in vocibus numeri, erit primúm rectio nominis tum substantivi, tum adjectivi.

D. Nominis substantivi rectio quotuplex est? P. Duplex. Prima. Substantivum adjuncti regit in genitivo substantivum subiecti. Cato dicit tanquam in Platonis πολιτεία, non tanquam in Romuli fæce, sententiam. hîc Plato est subjectum, cui adjungitur & accidit πολιτεία. Genitivi: mei, tui, sui, nostrum, nostri, vestrum, vestri, usurpâtur tanquam subjecti: Ratio mei, nostri: Defensor tui. Gerundium in di est tanquam genitivus subjecti: Pueris non omnem licentiam ludendi damus.

D. Quæ est secunda rectio substantivi? P. Substantivum subjecti vel totius, servit genitivo vel ablativo adjuncti, vel partis, cum adjectivo laudis aut vituperii: Accipies hospitem non multi cibi, sed multi joci. Virgo sparso ore, adunco naso. Opus, ἄκλιτον substantivum, ablativum regit: Authoritate tua nobis opus est & cõsilio & gratia.

Cap. 2, de rectione adjectivi.

D. Adjectivi rectio quotuplex est? P. Varia, sed spectatur feré in quãtitate & qualitate. Quãtitate gradus, partitionis, copiæ. Gradus comparativus regit ablativum:

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Gradus superlativus genitivum pluralem regit: Eloquentium jurisperitissimus Crassus, iurisperitorum eloquentissimus Scævola.

Partitivum genitivũ regit. Quis est omnium his moribus?

Adjectivum copiæ & inopiæ regit genitivum vel ablativum: Plenus bonorum & bonis.

D. Rectio qualitatis in quibus locum habet? P. In affinitate, commoditate, studio.

Adjectivum affinitatis aut contrarii, genitivum vel dativum regit: Affinis suspicionis & suspicioni.

Adjectivum commoditatis vel contrarii, dativum regit: ut, alicui commodum, incommodum.

Adjectivum ſtudii genitiuum regit: Amantiſſimus utriuſq; noſtrum: Laudis cupdius: Studioſus doctrinarum.

Adjectiva quædam regũt primum ſupinum: Optimum factu.

Cap.3, de rectione verbi activi.

D. Adhuc rectio nominis fuit: quænam eſt verbi? P. Eſt finiti primúm & perſonalis, qua modó nomen, modó verbum regitur.

D. Quotuplex eſt? P. Duplex, primaria aut ſecundaria. Primariæ rectionis unica regula eſt: Verbum activum regit poſt ſe accuſativum: Fortem virum tibi commendo. Verbum paſſivum ablativum regit: Fortes creantur fortibus. ſed abſq; præpoſitione hæc rectio rara eſt. Neutra & deponentia ex ſeſe nullum caſum regunt, vt ſedeo, loquor: activi tamen rectionem imitantur. Hæc cúm loqueris, nos Varrones ſtupemus: Currere curſum.

Cap.4, de rectione verbi acquiſitionis.

D. Quid eſt ſecundaria rectio verbi? P. Eſt cúm præter illum primarium caſum alius caſus regitur, & quidem ſimplex aut varius. Simplex, ut, Dativus, Accuſativus, Ablatiuus. Verbum vi acquiſitionis dativum regit: Suo ſibi hunc jugulo gladio. Sed plurima verba eundem caſum germana quadam natura regunt.

Primó, comparationis verba: Se illis ferè æquarunt.

Secundó, dandi & contraria: Quæ victores civitatibus Siculis aut dederunt, aut reddiderunt.

Tertió, imperandi, serviendi, declarandi, promittendi: Cupiditatibus, quibus cæteri serviunt, imperare.

Quartó, repugnandi & contraria: Repugnare & resistere crudelitati. Cujus ego industriæ gloriæque faveo.

Quintó, hanc dativi rectionem habent etiam verba illa, quæ interdum impersonaliter accipiuntur: Nihil ei restabat. Quod ipsis superat. Peccare licet nemini. Dolet mihi.

Verba rogandi accusativum alterum regunt: Illud te oro. Sic obsecro, rogo, flagito, similiaque rogandi verba. item moneo, consulo. sic celo, doceo: Qui nos nihil celat. Quid te, asine, literas doceam?

Verbum copiæ & pretij regit ablativum. Copiæ: Saturare se sanguine. Abundare doctrina. Pretii autem, Mercari magno pretio.

Quædam nomina reguntur in genitivo, ut, quanti, tanti, magni, pluris, maximi, plurimi, parvi, minoris, minimi, æqui, boni, flocci, nauci, pili, assis, teruncii, nihili. Depactus est tantidem, quanti fidem suam fecit. Nihil tanti fuit.

Cap. 5, de rectione verbi judicialis & substantivi.

D. Hæc

D. Hæc de secundaria simplicis casus rectione: superest rectio casus varii in verbo judiciali & substantivo. P. Verbum judiciale regit genitivum vel ablativum: ut verba accusandi, & absolvendi. Eam tanquam capitis accuset. Capitis arcessere: Absolvere improbitatis: Crimine liberare.

Verbum substantivum, aut quod ejus vim obtinet, regit post se nominativum pro eodē sumptum: ut, Tullius est Romanus: Beatissimi viveremus. At si casus sequens sit possessoris, erit in genitivo: Erit igitur humanitatis vestræ. Sed pro genitivis mei, tui, sui, possessiva meū, tuum, suum, nostrum, vestrum ponuntur: Non enim est meum contra aliquem dicere. Idem verbum si pro habeo usurpetur, dativum regit:

Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ.

At pro Afferre, duplicat dativum, ut Sempiternæ laudi tibi sit iste tribunatus, exopto.

Cap. 6, de rectione verbi deliberationis & motus.

D. Intelligo quomodo nomen regitur á verbo. Quæ est rectio verbi á verbo? P. Est in verbis deliberationis & motus.

Verbum deliberativum regit infinitum perpetuum: ut, audeo, habeo, incipio, opto, soleo, possum, propero, aggredior, molior, conor: piget, pœnitet. Oblivischar vigilare. Hoc me memini dicere.

Verbum motus ad locũ regit ſupinum ſecundum: Admonitum venimus te, non flagitatum. Verbum motus é loco rexit aliquando primum ſupinum: Obſonatu redeo. Cubitu reſurgo.

Cap. 7, de rectione verbi infiniti & imperſonalis.

D. Iam tempus eſt dicendi de rectione verbi infiniti & imperſonalis. P. Verbum infinitum perſonale perpetuum regit ante ſe accuſativum: Meum natum rumor eſt amare. Poſt ſe autem regit caſum ſui verbi: Quapropter teipſum purgare ipſis coràm placabilius eſt. Vltimum & gerundium & ſupinum plerunque imperſonaliter acceptum, regit etiam caſum ſui finiti: Aliqua conſilia reperiendum eſt. Sed id potiùs per gerundivum dices, Aliqua cõſilia reperienda ſunt. Supinum autem ſecundum frequens eſt: Huic quoque rei ſubventum eſt. Verùm rectionem activam cum verbis motus ad locũ tantúm obtinet: Cur te is perditum? Miſſa eſt ancilla ilico obſtetricem accerſitum. Neq; unquam dicere fas eſt, Miſſum eſt ancillam.

Imperſonalium rectio quorundam propria eſt.

Refert & intereſt, commoditatem vel officium ſignificantia, regunt genitivum: Illorum retuliſſe videretur. Reipublicæ intereſſe putavit. Excipe genitivos ſeptem, mei, tui, ſui, noſtri, veſtri, noſtrum, veſtrum: pro quibus vſur-

pătur possessiva, ut, Refert & interest mea, tua, sua, nostra, vestra.

Refert etiam & interest admittunt genitivos illos pretii & æstimationis, tanti, quanti, magni, parvi. In reliquis sæpius habent multum, plus, plurimum, magis, minus, parum, paululum, pauxillum, aliquid, nihil.

Quinq; impersonalia, Miseret vel miserescit vel miseretur, tædet, piget, pœnitet, pudet, regunt accusativum rei cum genitivo patientis: Me non solúm piget stultitiæ meæ, sed etiam pudet. Omnes nostrimet nos pœnitet.

Cap. 8, de rectione adverbiorum.

D. Hactenus rectio fuit vocum numeri: rectionem adverbiorum deinceps expone. P. Adverbiorum rectio varia est.

Derivativa primitivorum casum retinent: Nihilo minús. Omnium elegantissimé. Naturæ convenienter & congruenter.

Adverbia loci regunt genitivum: ubi terrarum esses: Longé gentium.

Adverbia temporis, pridie, (id est præcedenti die) postridie, (id est postero die) triplicem syntaxim habent. Pridie ejus diei, postridie ejus diei; hîc genitivus est. Pridie nonas: hic accúsativus est. Pridie quám excessit é vita: tertia syntaxis est.

Adverbia quantitatis, parum, satis, genitivum regunt: Parum malæ rei. Satis jam verborum

est.sic tantum,quantum,multum.

En,ecce, & o, nominativum vel accusativum regunt:En hic ille est.En tectum,en tegulas.Ecce autem Antonius.Ecce miserum hominem.O consuetudo peccandi. O præclarum custodem ovium,ut ajunt,lupum.

Hei est sine casu, vel dativum aut vocativum regit: Hei vereor: Hei mihi: Hei noster,laudo.

Heu dativum,accusativum,vocativum regit: Heu misero mihi: Heu fuge nate dea: Heu me infelicem.

Heus vocativum regit:Heus heus Syre.

Væ dativum regit: Væ capiti tuo.

Pro accusativum regit & vocativum : Pro Deûm atque hominum fidem: Pro sancte Jupiter.

Præpositiones quæ dicuntur,nativam loci significationem habent, sed temporibusq́, personis,rebus frequenter inserviunt.Ex his quædam regunt unicum casum, quædam duos, unicum, accusativũ aut ablativum. Accusativi casus præpositiones sunt 31.

Intra,extra: Intra decẽ annos:Extra ostium.

Apud,penes:Apud ignem assidere:Penes scenam exercitatus.

Secus,secundum:Nascitur secus fluvios:Proxime & secundum deos homines hominibus maximé utiles.

Juxta,prope:Jùxta te sum:Prope montes.

Ante,post,pone. Ante oculos:Post tergum: Pone castra.

Cis

Cis, citra, præter, ultra, trans. Cis Euphratem: Citra Rhenum: Præter ripam: ultra modum: Trans ripam,

Inter: Inter manus.

Erga & contra. Erga te: Contra veritatem.

Ad, usque. Ad focum: Ad agendum: usque Romam.

Versus semper postponitur: Adversus inde compositum præponitur. Portum versus: Adversus deos.

Ob, per, propter. Ob oculos: Per totam caveam ire: Propter tuum in me amorem.

Infra, supra. Infra Saturnum: Supra Lunam.

Circa, circum, circiter. Circa Capuam: Circum tribus: Loca hæc circiter.

Præpositiones ablativi casus sunt 14.

Præ, pro, coram, palam. Præ lacrymis: Pro omnibus: Coram genero meo: Palam populo.

Tenus semper postponitur: Tauro tenus.

De, ex, e, ab, abs, a. De, ex, ab, absque, omnibus literis præponuntur: e & a, solis consonantibus: De majestate. Ex ære, é saxo. Ab animo, á te, á dicendo.

Abs præponitur solis t & q. Abs quivis homine. Abii abs te.

Cum, sine: Cum exercitu: Sine spe.

Accusativum & ablativum regunt sequentes præpositionis: sed accusativum cum verbo motus, ablativum cum verbo quietis.

In cum accusativo. In vitam pauló seriús, tanquam in viam, ingressus: sed hîc usus est varius:

Ponere in oppido: Ponere in possessionem: In diem vivere.

In cum ablativo: In ære alieno nullo esse.

Sub cum accusativo: Sub scalas se conjicere.

Sub cum ablativo: Homines sub terra habitantes.

Super & subter: Super terræ tumulum. Hac super re: Subter densa testudine: Subter præcordia.

Procul: Procul muros: Patria procul.

Clam: Clam patrem: Clam iis. hinc clanculum.

D. Nihilne superest é rectione præpositionum? P. Sané præpositio sæpe deest, unde & absoluta rectio dicitur: ut in nominibus causæ & mensuræ & oppidi.

Nomen causæ ponitur in ablativo: Capitolium saxo quadrato substructum est: Gloria clarus, authoritate gravis. Item nomèn instrumenti & modi.

Mensuræ speciale nomen frequenter in accusativo ponitur, aliquando etiam in ablativo: Longum sesquipede: Latum pede: Muris ducentos pedes altis, quinquagenos latis.

Temporis spatium quod per Quampridem intelligitur, tánquam mensuræ speciale nomen, in accusativo ponitur: Ab hinc annos propé viginti. Itidem quod per Quandiu intelligitur: ubi perpaucos dies commorabor.

Temporis tamen terminus qui per Quando intelligitur, in ablativo tantúm ponitur: Hora nona

nona convenire cœpistis.

Proprium nomen oppidi ponitur in accusativo, si motus ad locum significetur: vel in ablativo, si motus sit per locum, vel é loco: Cumas se contulisse dicitur. Iter Laodicea faciebam. Epistolas ad me Q. Servilius Tarso miserat.

Si quies significetur, proprium nomen oppidi singulare parisyllabum ponitur in genitivo: imparisyllabum in dativo vel ablativo: plurale quodvis in ablativo: Cúm Laodiceæ, cúm Synadis, cúm Philomeli, cúm Iconii essem. Fuisse Carthagini. Lacedęmone esse pręsidium senectutis, Audientem Cratippum, idque Athenis. Pauca non propria oppidorum eandem syntaxim sequuntur, ut accusativi, domum, rus: ablativi domo, rure: genitivi, domi, belli, militiæ, humi: dativus & ablativus, ruri & rure. Quorum virtus fuerat domi militiæque cognita. Jacere humi. Ruri habitare. Rure jam redieram.

Cum casibus domi & domum adjectiva conjungũtur, mea, tua, sua, nostra, vestra, aliena. Me domo mea expulistis. Nonne mavis sine periculo domi tuæ esse, quám cum periculo alienæ?

D. Quid præterea superest? P. Interpunctionum notæ: quarum primæ & principales sunt quatuor, virgula, incisum, membrum, periodus. Virgula, est qua distinguitur verbum quod ambigué antecedenti vel consequenti servire posset: sic, Incisum, sententiam imperfectam ostendit puncto ad mediam literam posito, sic. Membrum, sententiam quidem perfectam, sed cum

altera conjunctam habet, & puncto ad ſummam literam poſito, ut· Periodus, ſententiam abſolutam comprehendit, puncto ad imam literam poſito, ut. Peculiares autem ſunt notæ admirationis, ut! interrogationis, ut? Parentheſis autem, virgulis utrinque jam diſtingui ſolet, ut ().

Expoſita ſunt tibi, diſcipule, Rudimenta Grãmaticæ Latinæ: quorum plenior & abſolutior cognitio ex iiſdem fontibus tibi hauriẽda eſt, unde iſtos rivulos deduximus. Itaque cúm hos plané perceperis, illos tibi adeundos eſſe cenſeo.

D. Ego veró, Præceptor cariſſime, alacri ſtudio faciam: intereàque pro iſto tuo munere magnas tibi gratias habeo, habeboq; dum vivam.

FINIS.